

**05**

**A**

**369**







Dies Dio

BELLUM

CHRISTIANIS

NOTUM

SUB PARADIG

EXEMPLUM

IO. FRID. SCHREIBER, L.A.M.

AMPS.

ET

DM. ENTHORIS

ORATIONE

BY. LAMER

D. 1793

MORIS AB IX. MATHE

PR 93 A 50

DANIEL WALTHER

1793

FRANCO HALLANO



JESUS SEGUNDET!  
BELLUM LICITE GERENDUM.

**T**Hema hoc nostrum esto. De hoc jam venit disqui-  
rendum; non quidem, an omninò gerere bellum liceat,  
sed, an Christianis sit licitum? JULIANUS Apostata per-  
derisum exprobrabat illud Christi, *alavam danti dandam &*  
*alteram maxillam, Matth. 5. v. 39.* non igitur bello vindicandum.  
Nota quoq; est insania FAUSTI MANICHÆI, qui, teste *Augu-*  
*stino tom. 6. lib. 22. contra Faust. cap. 73. seq.* Bellum suâ naturâ  
illicitum esse assererat, & propterea Mosen, Josuam, Davi-  
dem, aliosqve Bellatores injustitiæ accusabat. Vestigiis post-  
modum ejus, si non in toto, tamen ex parte, inhæserunt ANA-  
BAPTISTÆ, SOCINIANI & WEIGELIANI, docentes, quam-  
vis in Veteri Test. bella licita fuerint, secus tamen se rem habere  
in Novo Test. in quo à Christo fuerint abrogata. Ita Smalcus  
contra Frantz. p. 339. *Quòd bella gerere liceat negamus, & indignum*  
*Christianâ pietate esse censemus.* Et Ostorodius in Institut. cap. 27.  
*Wir geben denen beyfall/so den Krieg improbiren/nicht für gut*  
*haltē/ob wir wol wissen/wie vielen diß für den Koyff stossen wird/*  
*die wohl umb dieser einigen Meynung willen die ganze Confes-*  
*sion selber leichtlich verwerffen solten/ &c.* Idem docent Soci-  
nus in Resp. ad Jac. Palæol. Lib. C. 6. &c. Joh. Volckelius lib. 4. de  
ver. Rel. cap. 16. & alii. In eandem ferè nassam à Pontificiis &  
nominatim ab *Adamo Contzen lib. 10. Polit. cap. 3. §. 5.* pertrahitur  
Beatus noster LUTHERUS, quasi bellum contra Turcam, tan-  
quam impium & injustum, damnasset; verum, cum ipsemet tam  
Tom. II. Jenens. Lat. p. 326. quam Tom. II. Witteberg. Germ. p.  
445. seqq. ab hac virulenta calumnia se purgarit, actum ab ipso  
agere supersedemus. Nos impræsentiarum asserimus: Bellum  
etiam in Novo Test. Christianis esse licitum, sequentibus tamen  
observatis conditionibus.

1. *Ut Bellum sit æquum & justum, i. e. justa de causa*  
susci-

suscipiatur. Belli enim iniquè suscepti menses est calamitas: è contrario, ubi iusta causa est, eventus ultimus felix est, Psal. 37, 9. & 94, 14. & seqq. Hinc Theodosius Imperator Valentiniano dicere solebat, Imperatoriam aciem non armis, sed iustis causis constare. Comes autem S. Pauli: *Qui in bello, inquebat, vincere cupit, videat, ut Deum equitate cause, & belli à se suscepti, à suis partibus habeat.* Unde rectè Poëta: *Non vis aut numerus, tandem bona causa triumphat.* Erit autem bellum iustum, (1) si vis, vel nobis, vel nostris illata, vi repellatur, & Libertas, Religio, Patria, Parentes, Uxores, Liberi, Amici, socii, oppressi armis protegantur. In primis autem, si hostis ita sit comparatus, ut cum eo, non de Imperio, sed de vita, non de opibus, sed de Salute sit dimicandum. (2) Si acerbiores atq; atrociores nobis inferantur injuriæ, quàm ut sine publicæ salutis & auctoritatis nostræ dispendio militari possint, aut si enormia cum ab aliis, tum verò maximè nostris à subditis scelera patrentur, armis illæ vindicandæ sunt, si aliter fieri non possit, hæc pro merito illorum plectenda. Non enim frustra Magistratus gladium gerit, sed ad vindictam, Rom. 13, 4. Hinc DEUS præcepit Mosis: *Ulciscere ultionem filiorum Israël de Midianitis, postea aggregaberis ad populum tuum.* Num. 31, 2. Quod quoq; Moses fecit, dum eorum quinque Reges, cum omni masculo, interfecit, ut ibidem legere est. Similiter David ultus fuit ignominiam, quâ Hanon, Rex Ammonitarum, Legatos ipsius affecit, ac septingentos currus, & quadraginta millia equitum, nec non Sobach, Principem Exercitus illius, percussit, qui quoq; ibidem fuit mortuus. Sic etiam justè meritòq; Jonathan, Maccabæorum Princeps, adversus filios Jambri, propter fratris internecionem & latrocinium, bellum suscepit, eosq; oppressit, convertens gaudium eorum in tristitiam, cytharam in lacrymas, nuptias in luctum. Eandem ob causam olim Romani Corinthum deleverunt, ut videre est apud Florum lib. 2. cap. 16. Taceo nunc causas alias. Eas enim omnes recensere, nimis foret prolixum.

2. *Ut suscipiatur cum DEO*, sine quo quicquid molimur infaustum est. Cum Deo autem suscipietur, si os Dei, i. e. verbū ipsius, ante omnia consulatur, si in auxilium invocetur, totumq;

tumq; negotium, certa cum fiducia, quod causæ bonæ sit patro-  
cinaturus, ei committatur. Hinc legimus *Exod. 17, 10. seqq.* duran-  
te pugna Josuæ cum Amalec, Mosen in monte Horeb elatis ma-  
nibus Deum invocasse, & tandem ardentibus suis precibus victo-  
riam impetrasse. Qui hoc facere negligunt, Dei opem conte-  
mnunt, in brachio carnali spem collocant, & meritas tandem te-  
meritatis suæ pendunt pœnas. Tales fuerunt Achab, *1. Reg. 22, 33, 34, 35.*  
Josias, aliàs pius Princeps *2. Chron. 35, 20, 21. seqq.* & Ajax Telamoni-  
us, quem cum Parens salutari monito domo dimisisset, & dixisset:  
*Mi Fili, virtute velis vincere, auxiliante Deo semper velis vincere;* stul-  
tè ac superbè respondit: *Adjuvante Deo etiam ignavi vincere solent.*  
*Ego verò vel absq; auxilio divino confido, me istam consequuturum esse*  
*gloriam.* Ast postmodum, ægrè ferens, mortui Achillis arma  
Ulyssi data fuisse, justo Dei judicio in insaniam incidit, & semet-  
ipsum confodiens, miserè ex hac vita excessit.

3. *Ut suscipiatur auctoritate Magistratus.* Non  
enim pertinet ad personam privatam, movere bellum, quæ po-  
test jus suum iudicio superioris persequi. Hinc non personis  
privatis, sed solis Magistratibus DEUS potestatem gladii con-  
cessit *Rom. 13, 4.* Platonis Lex erat: *Si quis privatim sine publico scito*  
*pacem bellumve fecerit, capitale esto.* Ordo quippe naturalis, te-  
ste Augustino, mortalium paci accommodatus, hoc postulat, ut su-  
scipiendi belli auctoritas atq; consilium apud Principes sit; &  
nisi hoc jus ad Principem referatur, nunquam quiescet Respubli-  
ca à turbis & bellis civilibus, uti fuse hoc docet *Arniseus lib. 1. de*  
*jur. Majest. cap. 5. §. 11.* Hinc iure Civili Majestatis reus iudicatur,  
qui arma sine Principis jussu sumit *l. 3. ff. ad L. Jul. Majest. &*, te-  
ste Theodoro Reinking, *lib. 2. de Regim. sec. 89 eccl. class. 3. c. 1. p. 13.*  
*seqq.* novissimo iure, in alterius perniciem & invasionem, sine  
permisso summi Principis, arma usurpans, violati territorii, &  
pacis fractæ reus agitur, juxta *Constit. August. de Anno 1595.*

4. *Ut non nisi extremâ urgente necessitate bel-  
lum geratur.* Omnia enim prius tentare, omnia experiri,  
quàm bellum oportet. Ratio: quia nullum bellum tam tutum  
atq; felix, quod non magnas secum trahat calamitates, ut me-  
ritò

fito Bellum, tanquam minimè Bellum, teste Augustino, dicatur.

5. *Ut finis belli sit pax*, i. e. ii, qui bella suscipiunt & gerunt, hoc non faciant ex cupiditate nocendi seu vastandi, ut de Assyrio dicitur Jes. 10, 6. 13. &c. Nam *militare non delictum est, sed propter pradam militare peccatum est*, inquit Augustinus, tom. 2. *Epist. 205. ad Bonif. p. 838.* Verùm ad malos coërcendos, se suosq; defendendos, eosq; qui vim injustam patiuntur, tutandos. His, & aliis conditionibus observatis Bellum gerere Christianis non esse illicitum probamus argumentis tum artificialibus sive rationibus, tum inartificialibus sive testimoniis.

*Argumenta artificialia.*

*Arg. I. Si licitum est homini privato, Jure Naturali, Gentium, Civili & Divino, injustam ac manifestam violentiam à se repellere, ac vitam & corpus suum defendere; multo magis licitum erit Magistratui, personam publicam gerenti, & gladium, sibi divinitus datum, gestanti à se & subditis, sua fidei & curæ commisisis, injustam & manifestam violentiam repellere, & vitam, corpora, ac fortunas subditorum tueri, ut conatibus & injuriis hostium obsistat, qui religionem & regionem evertere, & bonum publicum, cujus cura Magistratui commissa est, penitus subvertere expetunt.*

*At qui prius est verum. E. & posterius.*

Assumptum probatur, (1) ex jure naturali, opere illo Legis, scripto in cordibus nostris, utpote, quod clamat, proprium corpus contra vim injustam esse protegendum, vel ope Magistratus, vel, urgente necessitate, propria defensione. Hinc Cicero lib. 1. de Offic. *Principio omni animantium generi à natura tributum est, ut se, vitam, corpusq; tueatur, declinetq; ea, quæ nocitura videntur.* Et alibi: *Illud est non modo justum, sed etiam necessarium, cum vi visibata defenditur; hoc & ratio doctis, & necessitas barbaris, & mos gentibus,*

tibus, & feris natura prescripfit, ut omnem semper vim, quâcunq; opẽ  
possent, à corpore, à capite, à vita sua propulsarent. Ita in *l. isaque*,  
*ff. ad L. Aquil.* dicitur: *Adversus periculum naturalis ratio permittit,*  
*se defendere.* Quapropter quoq; Mucius, apud Ulpianum *l. i. §.*  
*cum arietes. ff. si quadrup. pauper.* distinxit, cum arietes vel boves  
commisissent, & alter alterum occiderit, siquidem is periisset,  
qui aggressus erat, cessare actionem: si is, qui non provocaverat,  
competere actionem: quamobrem eum sibi aut noxam sarcire,  
aut in noxam dedere oportere. Quibus utiq; clarè innuit, de-  
fensionem non tantum hominibus, sed & omni animantium ge-  
neri à natura tributam esse. (2) *Ex Jure Gentium.* Nam, ut Livius  
ait lib. 43. *Jure Gentium ita comparatum est, ut arma armis pro-*  
*pulsentur.* Hinc Florentinus *J. C. ut vim. ff. de J. & J.* expressè  
dicit, *juris gentium esse, ut vim atq; injuriam propulsemus.* Cui  
consentit Hermogenianus, *l. ex hoc jure. ibid.* ajens, *ex hoc jure*  
*gentium bella introducta esse, discretas gentes, regna condita, dominia*  
*distincta, agris terminos positos, aedificia collocata, commercium, empti-*  
*ones, venditiones, locationes, conductiones, obligationes institutas,*  
*exceptis paucis, qua à Jure Civili introducta sint.* Neq; opus fusiùs hoc  
explicare, siquidem non tantum omnium temporum Historiæ, sed  
& singulorum populorum leges & consuetudines hoc demon-  
strant. Plura tamen qui desiderat, adeat *Hugonem Grotium lib. i. de*  
*jure belli & pacis cap. 2. §. 4. p. 17.* (3) *Ex jure Civili.* Nam *l. is qui, C. ad*  
*L. Corn. de Sic.* dicitur: *Is qui aggressorem, vel quemcunq; aliũ*  
*in dubio vitæ discrimine constitutus occiderit, nullam, ob id fa-*  
*ctum, calumniam metuere debet.* Et *l. si quis. ibid.* *Si quis per-*  
*cussorem ad se venientem gladio repulerit, non ut homicidæ*  
*tenetur: quia defensor propriæ salutis in nullo peccasse videtur.*  
*Item: Liceat cuilibet aggressorem nocturnum, vel obsidentem*  
*vias, atq; insidiantem prætereuntibus, impunè occidere, etiã si mi-*  
*les sit. Meliù nãq; est, huic occurrere & mederi, quàm injuriã ac-*  
*ceptã vindictã perquirere.* Similiter, *l. ut vim. ff. de J. & J.* *Jure hoc*  
*evenit, ut, quod quisq; ob tutelam corporis sui fecerit, jure fecisse*  
*se existimetur.* (4) *Ex Lege Divina,* quæ eum absolvit à crimine  
homicidii, qui furem nocturnum interfecerit, quando ait: *Si in*  
*offensione inventus fuerit fur, & percussus fuerit, mortuusq; fuerit, non*  
*erit*

erit percussor morti obnoxius, Exod. 22, 2. præsumitur enim animo  
graffandi venisse, ac propterea conceditur adversus ipsum de-  
fensio.

*Arg. II. Cujus finis atq; effectus sunt utiles ac necessa-  
rii, illud in se non est vitiosum, nec simpliciter im-  
probari potest.*

*Atqui belli fines & effectus sunt utiles & necessa-  
rii. E.*

Minorem probamus ex inductione variorum effectuum, fini-  
um & utilitatum, ut sunt (1) *Reipublicæ conservatio.* Sine bellis  
nulla Respubl. potest constitui, nulla firmari, nulla amplificari,  
nulla perdurare, nulla ab interitu vindicari, nec quidem in In-  
sulis Fortunatis, quas hominum innocentissimorum sedes fuisse  
Poëtæ fingunt. Quin & ipsum diluvium antecessisse bella viden-  
tur, uti patet ex descriptione Gigantum, Gen. 6, 4. Ut enim in  
omnibus mundi partibus nihil est, quod suum non habeat hostē,  
& aliis cum rebus inimicitias, quas Physici *ἀντιπαθήσας* vocant,  
non exerceat; Ita nullum est imperium, quod non à malis vici-  
nis carpatur, vel ab immorigeris subditis turbetur, vel ab impro-  
bis Magistratibus labefactetur, quorum conatibus nisi consilio &  
armis obsistatur, omnia funditus interire necessum est. (2) *Hostiū  
repressio.* Nemo n. facile ignē gladio fodit, nemo crabrones irritat,  
nemo bovē, qui scēnū habet in cornu lacescit, ut non abs re Livius  
dicat: *Nemo audet provocare eum, quem intelligit, promptum & ex-  
peditum esse ad defendendum.* (3) Solent bella inutili turbā & ignaviā  
Rempubl. liberare, & Principes ac subditos à vitiis, quæ pacem,  
otium, opulentiam comitari solent, avocare. Hinc Bodinus lib.  
5. de Republ. c. 5. p. 565. scribit, *remedium majus nullum esse posse, quàm  
ejusmodi homines, qui propter desidiam in otio vivunt, & in suā turpi  
inertiā voluptatibus disfluunt, è civitate ad bellum emittere, ac veluti  
pravis & corruptis humoribus plenum corpus vacuare.* (4) Seditioes  
domesticas & dissensiones intestinas impediunt & prohibent.  
Quod probè animadvertit Scipio Nasica. Cum enim Romæ oc-  
cultè inter Patres de Carthagine funditus delenda ageretur, eaqs  
consu-

consultatio in longam & difficilem disceptationem exiisset, majorq; Porcius Cato, cui antea Prisci nomen fuerat, censeret Carthaginem funditus esse delendam, ut Roma incolumis esset, ipse P. Scipio Nasica identidem testatus fuit, viderent illi, qui cupidè vellent Carthaginem excisam, ne populus Romanus, æmulæ & inimicæ Urbis metu liberatus, intermisso virtutis exercitio ad luxum conversus, in civiles incideret discordias. Quod malum multo prius prævidit Nasica, ac prædicavit, sed ei obviam ire non potuit. *Vid. Theod. Zwingerus in Theatr. vit. human. vol. 7. lib. 2.* (5.) Cogunt homines sobrios esse & temperantes. Ratio: quia in perpetuo metu milites versantur, ne ab hostibus invadantur, quibus certè resistere non possent, si se inebriassent. Quod si tamen experientia hodiè ostendat, contrarium fieri, variaq; horrenda inter Milites grassari vitia, id non Bello ipsi, ejusq; legitimo usui est adscribendum, sed potius negligentia & nimia conniventia Ducum & Præfectorum, qui officio suo rectè non funguntur, & cum ejusmodi peccata eruere, evellere, punire deberent, diductis oculis ea dissimulare solent. (6.) Via maximè compendiosa sunt ad gloriam & nominis immortalitatem comparandam. *Sunt enim, teste Cicerone, due artes, quæ possunt locare homines in amplissimo dignitatis gradu: una Imperatoris, altera Oratoris, quod ab hoc patris ornamenta retinentur, ab illo belli pericula repelluntur.* (7.) Pacem promonent. Pacem enim bello parari, ejusq; esse finem supra innuimus. Hinc, referente Petro Gregorio Tholozano *lib. 11. de Rep. c. 1. Sect. 1.* Epaminondas Meneclidi, bellum Thebanis dissuadenti, & è contrario svadenti, ut pacem bello anteponerent, respondit: *Fallis cives tuos, quod eos à bello avocas, otii enim nomine servitutem imponis. Nam paratur pax bello, & qui ea diuturnâ volunt frui, bello exercitati esse debent. Quare si Principes Græciæ esse vultis, castris est nobis utendum, non palæstrâ.* Perbellè quoque Baldus dicebat: *Initio utendum esse verbis, h. e. amicam tractationem esse tentandam: Deinde verbis, hoc est, omnia juris remedia adhibenda: Tertiò lapidibus, ut, ubi non sufficit Virtutis ingenium, valeat armorum præsidium atq; tutela.*

*Arg. III. Quod suâ naturâ non est illicitum & vitiosum, id Christianis quoque non est illicitum.*

B

Sed

*Sed bellum suâ naturâ non est illicitum & vitiosum. Ergo.*

Minor probatur, quia, quod in & per se vitiosum est, illud semper ac perpetuò est tale. Ratio: quia ἡ κατ' αὐτὸ πρᾶσσει κατὰ πᾶσι. Sed bellum non semper ac perpetuò est vitiosum, cum, vel ipsis fatentibus Adversariis, in Vet. Test. fuerit licitum. Ergo, nec per se & suâ naturâ erit illicitum & vitiosum.

*Argumenta inartificialia.*

Propositis argumentis artificialibus, ordo nunc postulat, ut progrediamur ad inartificialia argumenta, seu Testimonia, quorum *Primum* desumitur ex plurimis Vet. Test. locis, docentibus, non solum ea bella licita fuisse, quæ ex speciali DEI mandato suscipiebantur, sed & ea, de quibus disertum & expressum Dei præceptum non habebatur. Utraque autem confirmant sententiam nostram: Illa, quòd inde constat, bellum suâ naturâ non esse illicitum, uti malitiosè Faustus finxit, adeoq; per se non esse peccatum. Deo enim auctore bella gesta & suscepta fuerunt, *Num. 31, 2. Jos. 1, 6. & 10, 8. Jud. 1, v. 1. & c. 1. Sam. 15, 3. & c. 3, v. 8.* Spiritu Dei, heroas excitante & impellente, *Jud. 3, 9. & 6, 34. & 11, 29. & 15, 14.* & à Deo præscriptæ fuerunt certæ belligerandi regulæ, *Deut. 20, 2. seqq.* à Deo directæ fuerunt bella, & dotes ad bella necessaria profectæ, *2. Sam. 22, 35. Psal. 18, 35. & 144, 1.* imò gravissimè Deus fuit iratus iis, qui in persequendis hostibus segniores fuerunt, *1. Sam. 15, 11. Jer. 48, 10. & c.* Hæc, quòd à Deo etiam profectæ dicantur illæ victoriæ in bellis, de quibus non erat à Deo aliquod mandatum traditum, *Gen. 14, 20. Jos. 4, 4. Prov. 21, 31.* Unde etiam bella gesserunt in Vet. Test. pii & sancti Dei Viri, Abraham, *Gen. 14, 14.* Jacob, *Gen. 48, 22.* Moses, *Exod. 17, 9.* Josua, Judices, Reges Israëlitici, David, Ezechias, Josaphat, &c. quos impudentissimè Manichæus impietatis accusat, & ab Anabaptistis, Samosatēnianis & Socinianis argui deberent, si bella licita non essent: Tantum autem abest, ut hi alicujus impietatis possint insinulari, ut potius *Hebr. 11, 33.* per fidem bella gessisse dicantur.

*Secundum* argumentum desumimus ex Responso, quod Johannes Baptista militibus, quid facere deberent, interrogantibus, dedit: *Μὴ δέξατε διασείσιντε, μὴδὲ σὺκοφανήσιντε, καὶ ἀπεκρίθη τοῖς ὁψωνίοις*

ὁ λόγιος ὁμοῶν: *Luc. 3, 14.* Ex quibus verbis patet, Johannem non præcepisse militibus, ut militiã desererent, sed in sua vocatione persisterent, stipendiis suis essent contenti, neq; quævis injuriã afficerent. Si autẽ bella in Nov. Test. essent abrogata, jussisset eos planè militiã deserere. Quæ probè cognovit Augustinus, ac propterea inter alia ait: *Non eos utique sub armis militare prohibuit, quibus suum stipendium sufficere debere præcepit.* Et alibi: *Si Christiana disciplina omnia bella culparet, hoc potius militibus, consilium salutis petentibus, in Evangelio diceretur, ut abjicerent arma, seque omninò militiã subtraherent. Dicitur autem est eis: neminem concusseritis, nulli calumniam feceritis, sufficiat vobis stipendium vestrum. Quibus proprium stipendium sufficere debere præcepit, militare utiq; non prohibuit. Vide Aug. Tom. 2. Epist. 205. ad Bonif. p. 838. & Epist. 105. ad Marcell. p. 24.*

*Tertium argumentum de promimus ex Matth. 8, v. 10. ubi Christus Centurionem, qui sub se milites, mandatis suis obtemperantes, habere dicebat, à vocatione sua non revocat, & statum, in quo fuit versatus, tanquam impium non damnat, sed potius ipsum in eo confirmat, præclaroq; elogio ornat, quòd nimirum in Israële tantam fidem non invenerit. Apud Judæos olim Publicani, uti & hodie in Italia, ubi Datarii appellantur, pro hominibus sceleratis & nequiosis habebantur, propter summam tyrannidem, quam in violentis vectigalium exactionibus exercuerunt. Hinc cum Christus concionaretur in domo Matthæi, haud obscure significavit, eum fuisse sceleratum, impostorem, & vulgò quoq; pro infami & inhonesto homine existimatum. Dicit enim: *Qui valent, non egent Medico, sed male affecti. Profecti verò discite, quia sit, misericordiam volo, & non sacrificiũ. Non enim veni, ut vocarem justos, sed peccatores ad resipiscentiã;* significans videlicet Matthæum esse virum, animo suo pessimè habentem, misericordiã indigentem, ac ejusmodi esse peccatorem, cui pœnitentia admodum sit necessaria. Quapropter ipsum ab hoc impio vitæ genere avocavit, & ad munus Apostolatus vocavit. Idem certè Christus nunc fecisset. Si enim bella abrogasset, modis utiq; omnibus Centurionem hunc, quem tanto elogio celebrat, ab hoc vitæ genere, tanquam saluti ipsius æternæ officienti, avocasset, quod tamen non fecit. Et huc faciunt verba Chrysostomi: *Militiam prætexis, & dicis, non possum esse pius. Centurio nonne miles erat, nihilq; nocuit illi**

*illi sua militia. Idem dicit Augustinus: Noli putare, neminem Deo placere posse, qui armis bellicis ministrat. In his erat sanctus David, cui Dominus tam magnum perhibuit testimonium, qui inquit: Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad praelium. In his erant illius temporis plurimi justi. In his etiam erat ille Centurio, de quo inquit Christus: In Israël non inveni tantam fidem.*

Quartum Argumentum petimus ex Rom. 13. v. 4. & seqq. Unde ita argumentamur: (1.) Cui ad vindictam malorum datus est gladius, illi etiam licet bella gerere Atqui Magistratui ad vindictam malorum datus est gladius. Ergo Minor probatur ex Rom. 13, 4. *Quod si feceris, quod malum est, metue. non enim temerè gladiū gestat: nam Dei Minister est, ultor ad irā Dei, qui quod malum est, fecerit.* (2) Cui ad defensionem subditorum datus est gladius, illi etiam licet bella gerere. Atqui Magistratui ad defensionem subditorum datus est gladius. E. Major probatur: Quia absq; bello subditos nostros sæpè defendere nequimus. Quod si ergo Magistratui licet subditos suos defendere à furibus, latronibus, raptoribus, & alijs facinorosis, pacem & tranquillitatem Reipubl. turbantibus, legem & disciplinæ repagula protervè perumpentibus, vitæq; & bonis subditorum insidiantibus; quanto magis ei licebit subditos defendere ab hostibus externis, non solùm hunc vel illum è subditis aggredientibus, necem & bona ejus petentibus, sed totalem Reipubl. ruinam molientibus. Minor probatur ex Rom 13, 4. ubi Paulus dicit: Magistratum gestare gladium, esseq; ministrum nostro, i. e. subditorum bono. (3.) Cui eo fine à subditis tributa præstantur, & præstari etiam divino mandato debent, ut gladio vindictam adversus malè agentes exercendo partes officii sui impleat, is, si hoc faciat, non peccat. Atqui Magistratui Christiano hoc fine tributa præstantur. E. Minor probatur tū ex citato loco, Rom. 13. 6. collat. cum v. 4. tum ex dicto Christi: *Reddite Cesari, quæ Cesaris sunt, & Deo, quæ Dei sunt;* de quo Augustinus Tom. 6. lib. 22. cont. Faust. c. 74. ita differit: *Sed quia Manichæi Johannem apertè blasphemare consueverunt, ipsum Dominum Jesum Christum audiant, hoc stipendium jubentem reddi Cesari, quod Johannes dicit debere sufficere militi. Reddite, inquit; Cesari, quæ Cesaris sunt, & Deo, quæ Dei sunt. Ad hoc enim tributa præstantur, ut propter bella necessario militi stipendium præbeatur.* Idem 1. Cor. 9, 7. dicit Paulus:

*Quis*

*Quis militat propriis stipendiis unquam?* Quibus verbis haud obscure militiam approbat, & stipendia rectè meritoq; militibus solvi, in-  
nuit. *Major* patet, quia si licet ad bellum gerendum tributa solve-  
re, licebit quoq; bellum gerere. Finis enim si sit illicitus, & media,  
ad illum finem tendentia, erunt illicita. Si autem non liceret bel-  
lum gerere, utiq; nec tributa ad bellum gerendum dare liceret,  
cum mala non sint fovenda, sed, quantum in nobis est, evellenda,  
erucenda. Contradicat proin sibi Ostorrodus, dum, uti supra vi-  
dimus, bellum improbat, & tamen alibi fatetur, tributa dari posse  
ad bella.

*Quintum Argumentum.* Si DEUS omnia bella adeò improba-  
ret, ut Christianis non liceret Magistratûs defensione uti, tum Pau-  
lus defensionem militum Romanorum non permisisset, multò mi-  
nùs bellicam hanc defensionem à Tribuno petiisset. Sed Lucas  
*Actor. cap. 21. & 23.* testatur, Paulum statim cognitâ conjuratione,  
quæ contra ipsû facta erat, rē Tribuno renunciasse, qui confestim eū  
e quo impositum, additis 70. equitibus, & 400. peditibus armatis &  
instructis, noctu Hierosolymis Antipatrida, & inde ad Præsidem  
miserit, quibus omnibus Paulus, ut singulari Dei beneficio, cum  
gratiarum actione fuerit usus. Itaq; non tantùm licet Christianis  
uti Magistratuû defensione, sed Magistratus quoq; Christiani, exē-  
plo Romanorum infidelium, qui adeò fortiter Paulum tutati sunt,  
monentur, ut eodem modo infantes tueantur, quandoquidem illi  
hoc facto magnam coram Deo & Hominibus laudem meruerunt.  
&c. Atque hæc sunt, quæ pro ingenii modulo, de utili hoc &  
nobilissimo themate, (quod Istorum pariter atq; Politicorum pau-  
ci tetigerunt, pertractarunt autem Theologi, ) proponere volui-  
mus. Si non omnia Delphica aut è sybillæ foliis deprompta, eò  
facilius nos veniam impetraturos confidimus; quò propius labi &  
cespitare ab hominum ingeniis abest. Nemo tam paratus erit ad  
monendum, quàm nos ad corrigendum.

GLORIA TIBI DOMINE JESU  
DUCTOR AC DOCTOR  
NOSTER

OPTIME, MAXIME

NOSTRÆQUE SALUTIS

A. & Ω.

AUCTOR

## AUCTORES

Thema nostrum propugnantes: B. Balduinus in *Cas. Consc. lib. 4. c. 12. p. m. 1180.* Hutterus in *Locc. Tb p. 360.* Chemnitius part. 2. LL. CCd e *Vindicta.* Gerbardus dec. 7. qv. 1. Pol. & in *Loco de Magistrat. Polit. S. 369.* seqq. Thummius pec. tractatu Theol. de Bello. Brochmandus Syst. Theol. tom. 2. art. 24. c. 1. sect. 7. p. m. 5012. seq. Ludov. Dunte in *Cas. Consc. cap. 18. sect. 3. qv. 6. Jac. Martini lib. 3. Pol. c. 9. p. 1051. seq.* Hug. Grotius l. 1. de *Jure Belli & Pac. c. 2. n. 23.* Adam à Contzen lib. 10. Pol. c. 3. Timplerus lib. 4. Pol. c. 10. q. 2. Junius in *quest. Polit. part. 2. q. 67. p. 139.* Goclenius *quest. Eth. 50. p. 338.* Henr. Kipping *Instit. Pol. l. 2. c. 8. S. 7. 8. seqq.* Bodinus de *Rep. l. 5. Ex Jurisconsultis B. Carpozovius in Consist. lib. 2. tit. 17. defen. 265. n. 15.* Wurmserus *Exerc. 8. Juris Publ. tb. 18.* Ev. Bronchorst. *Miscell. Juris Con- trov. cent. 2. aff. 75 p. m. 410.* Dambaud. in *prax. crimin. c. 82. n. 4. 53. & 59.* Liebenthal. *Exerc. 14. Coll. Pol. q. 5. Besoldus de arte & jure belli c. 5. n. 2.*

Oppugnantes sunt: Johann. Werdenbagen in *Introduct. ad Polit. lib. 3. c. 10. qv. 13. seqq.* Wegelius lib. de *belli delectu.* Valentinus Smalzius *disp. 6. contra Frantzius de reb. civil. p. 390. seq.* Dan. Brenius lib. de *regno Christi c. 8. & 9.* Ostorodus in *Institut. Germanicis c. 28.* Volckelius lib. 4. de *vera religione c. 16.* Socinus in *paranesi ad Evangelicos cap. 3. & defensione adversus Palaologum p. 120. & seq.* Tertullianus de *Idolol. Lactantius lib. 5. Instit. divin. c. 22. 29. Conferatur quoq; Confessio Hornensis Artic. 19. & Colo- loquium Embdanum Actione III.*


## ANNEXA.

1. Magistratus subditos ob religionis professionem bello ab hoste impugnatos, ar- mis defendere debent; cum quia ipse Deus id faciendum praecepit. Deut. 7. v. 1. seqq. & c. 13. v. 14. seq. tum quia id Magistratus ex officio incumbit, quippe legis divinae divinitus constituto defensori. Hoc n. requirit; non tantum patriam li- bertatem, fortunamq; adversus injustam hostium vim, sed & quantum fieri potest fortissime veram religionem defendere.
2. Licet cum diversa religionis hominibus aut Principibus, urgente ita necessita- tis casu, ad defendendam religionem, patriam, Rempublicam, aut quodcumq; a- liud contra vim injuste illatam, salva & illaesa conscientia fœdus inire.
3. Potest fidelis contra infidelem alium jungere arma cum infideli, c. Imperat. caus. II. q. 1. Potest etiam auxilium infidelis contra alium infidelem implorare; Verum si bellum contra fidelem & vera religionis hominem sit suscipiendum, auxilio infidelis uti, & fœdus cum eo inire nem- inquam debet.

Non

**N**on rigida tantum Bellonæ fronduit hastis  
Campus: & armipotens castra Minerva fovet.  
Quid mirum, Tua si de *Bello* pagina tractet;  
Quodq; animus volvit, lingua loquatur opus!  
Præmia nec defunt Phœbo, quævis tempora cingat,  
Si modò Victoris sint benè tincta notis.

Johannes Andr. Qvenstedt, D.



**P**Ax alma firmat regiam potentiam,  
Et Subditis ab Hostis Ense noxio  
Parit Salutem liberam: præstantior  
Multis Triumphis pacis est tranquillitas,  
Quæ Civium felicitati consulit.

Sic gens Achæa judicat ac Romula  
Assueta Bellis horridis, Victoriis  
Licet studeret unicè conquirere  
Insigne stemma gloriosi Nominis.

Cruenta Bella dissipare Copiam  
Opum paratam, splendidas evertere  
Urbes, periculum creare singulis  
Patet: Sed ad tuenda Regna Principum  
Bellare fortiter Cohortibus juvat,  
Ne cuncta perdat hosticus Martis furor  
Aut ritè Libertas recepta concidat

Prudentiores quæstionem ventilant  
Concessa num sint Arma genti bellica  
CHRISTO dicatæ sanctiori fœdere?  
Hanc discutis, WALTHERE Docte, publicè  
Dum disputas in eruditâ Leucori,  
Laboris hujus gratulor fructum Tibi,  
Qui comparet tuis favorem Litteris  
In Patriâ, quas provehi meret tua  
Polita pulchrè mens, & Eruditio.

Michael Strauch / Mathem. P.P.

Der

**D**er Fleiß geblehret Preis und schöne Ehren Kronen  
Er führet als Sieger uns in Tugend Tempel ein  
Mein Freund dieß Werck entdeckt daß Fleiß Ihm werde lohnen  
Drumb wünsch ich daß der Lohn mög' desto grösser seyn.

Also wünschre seinem vielgeehrten Herrn  
Landsmann/und werthen Freunde


M. Franciscus Polcke.



**N**ein Freund! Er zeigtet iht was wache müh gethan/  
Und weiset durch dieß Werck die ausgeübten Stinnen;  
Sehr wohl! Er fahre fort auff dieser Tugend-Bahn!  
So wird das Vaterland Ihn künfftig ehren können.

Mit diesem schlechten bemühte sich seinen werthge-  
schätzten Herrn Lands-Mann zu beehren

Johann Kurkmann/von Bresl.



**D**e bello rigido, PRÆSIDE SCHARFIO,  
Bellè bella moves docta, MEUM DECUS,  
Et sic ingenii germina nobilis  
Patronis charitum conspicienda das,  
MOX PROSIS PATRIÆ MILLE FRUENS BONIS!

*Præstantissimo ac Præximio Domino Respondenti,  
Sympatriotæ, fautori & amico Honoratissimo  
precatur*

Johannes Semper, Nimicio-Silesius,  
Phil. & SS. Theosoph. Stud

**W**an sieht ikund/wie du der Weißheit dich beflissen/  
In der gegründet ist Gelehrter Leute wissen.  
Ich wünsche/daß dein Fleiß/der sich bemüht umb Kunst/  
Erlang' in kurzer Zeit beförderung und Gunst.

Christoff Friben/von Landesburt  
aus Schlessien.



05 A 369

ULB Halle

3


004 210 123



W.A.







B.I.G.

Farbkarte #13



50

DEO  
**UM**  
**IANIS**  
 IM  
 SIDIO  
 ARISSIMIQUE VIRI  
**ARFII, L.A.M.**  
 OS. ADJUNCTI  
 GNISSIMI  
 OTORIS SUI MULTIS  
 NIBUS COLENDI,  
 AD ALBIM  
 DECEMBR.  
 MATUT.  
 DEFENDET  
**ALThER,**  
 Th. St.  
 clo loc LXX.